

Sacerdotibus nefas erat militiæ nomen dare ; solo excepto bello , quod contra Gallos admovebatur . Posterioribus deinde temporibus , quemadmodum Romanis & Græcis in suspitione fuerunt Galli , Brutij nunquam fuerunt ; quapropter de illis , non de his , in vita Caroli magni , fol. 99. , scripsit Eginardus : *Erat semper Romanis & Græcis Francorum suspecta potentia .*

Norunt insuper Eruditi , quid de aliis gentibus , quæ ultra montes natale solum habent , Seneca , lib. 2. de ira cap. 2. scripserit : *In frigora , septentrionemque vergentibus , immanis ingenia sunt , ut ait Poeta , suoque simillima cælo .* Et cap. 15. *feritate liberæ gentes , leonum , luporumque , ritu , ut servire non possunt , ita nec imperare .* Norunt quoque , quid evulgerit de Romanis ipsis Salvianus , lib. 6. de Gubernat. : *Ibi præcipue vitia , ubicunque Romani .* Et , ut cæteras gentes silentio prætereamus , norunt denique , quid Cornelius Tacitus de omnium gentium hominibus ingenue prodiderit : *Vitia erunt , donec homines .* Si igitur ab hominibus nationes constituuntur , & hominibus cunctis congenita sunt vitia , quæ erit sub cælo natio , nævis saltem suis , si non vitiis , dehonestata ?

Nec quod nævis suis gens sua fœda dicatur ,